



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Cornelii Jansenii Iprensis Episcopi Augustinus Europaeus  
Perperam Dictus**

**Wavre, Philippus van**

**Antverpiae, 1709**

Cap. II. De falsitate primæ partis [et]c.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39351**

## CAPUT II.

*De falsitate primæ partis Iansenianæ Propositionis quintæ, assertionem mortis Christi pro omnibus Semi-Pelagianismi insimulantis.*

**P**rosperum S. Augustini Vindicem strenuum, & Semi-Pelagianorum Debellorem acerrimum disertè traditam reliquissè mortem Christi pro omnibus omnino hominibus, atque à tramite S. Augustini non deviasse convicimus. Proinde nec Augustinus, nec Prosper Semi-Pelagianus fuit, vel esse potuit. Augustini mentem infra uberiùs libaturis, Semi-Pelagianorum sensa de morte Christi juvat ex Prospero, cui perspicua fuere, prælibare, ut ad solis radios rutilet discrimen Catholicos inter & hæreticos illos de Redemptionis beneficio differentes. Itaque sit

## SECTIO PRIMA.

*Semi-Pelagiani docuerunt Christum sine delectu, & indifferenter, & æqualiter pro omnibus esse mortuum.*

**S**emi-Pelagianorum nova placita de morte Christi Augustinum docet S. Prosper his verbis: *Universis hominibus propitiationem, qua est in Sacramento Sanguinis Christi, sine exceptione esse propositam, ut quicumque ad fidem & baptismum accedere voluerint, salvi esse possint. . . Ideoque omnem hominem ad credendum & ad operandum divinis institutionibus admoneri, ut de apprehendenda vitâ æternâ nemo desperet, cum voluntaria*



## 450 LIBER SEXTUS

*taria devotioni remuneratio sit parata. Nam, teste Hilario, censebant nullam ita depravatam esse naturam, ut non debeat vel possit se velle sanari: propter quod vel sanetur quis à suâ, vel si noluerit, cum suâ aegritudine puniatur. Præmiserat: Quod enim dicitur: Crede & salvus eris, unum horum exigi asserunt, aliud offerri, ut propter id quod exigitur si redditum fuerit, id quod offertur deinceps tribuatur. Et S. Prosper in carmine de ingratis cap. 10.*

*Gratia quâ Christi populus sumus, hoc cobibetur  
Limite vobiscum, & formam hanc adscribitis illi:  
Ut cunctos vocet illa quidem, invitetque, nec ullum  
Præteriens studeat communem adferre salutem  
Omnibus, & totum peccato absolvere mundum.  
Sed proprio quemque arbitrio parère vocanti  
Judicioque suo, motâ se extendere mente  
Ad lucem oblatam, quæ se non subtrahat ulli.*

Et cap. 6.

*Cum sinè delectu seu lex seu gratia Christi  
Omnem hominem Salvare velit, donumque vocantis  
Sic sit propositum, ut nullus non possit ad illud  
Libertate suâ proprioque vigore venire.*

Itaque Semi-Pelagiani omnium Salvari Volentium sinè delectu, quos Medicum quæsituros, credituros suâ libertate Prævidit, efficaciter justificandorum Salvatorem venisse & pro omnibus illis efficaciter mortuum crediderunt: omnem gratuitam Christi gratiam, fidemque averfati. Atque sicut gratiæ Christi, ita gratuito ejus adventui ac Passioni fuerunt ingrati; iique adeò, ut nec Parvulos ex gratuitâ electione baptizandos dicerent, sed prævisâ eorum voluntate bonâ: & ideò aliquos non baptizari, quia prævisi sunt in bonâ voluntate non permansuri si viverent. Propter quem errorem Augustinus docet, eos plusquam Pelagianos exorbitasse, utpotè dicentes gratiam dari secundum merita, quæ nec sunt, neque futura sunt.

SEC.



## S E C T I O I I.

*Quod Semi-Pelagiani docuerint, Christum pro omnibus, qui per solum liberum arbitrium credere & sanari voluerint, esse indifferenter mortuum, confirmatur ex S. Prospero.*

**S**anctus Prosper in Carmine de ingratis frequenter Semi-Pelagianos Pelagianis componit quoad credendi, querendi Medicam naturalem facultatem. Evidentissimum verò est, Pelagianos ad fidem, & orationem nullam gratiam voluntati necessariam asseruisse. Idem ergò de Semi-Pelagianis arbitrandam. Itaque

S. Prosper de ingratis cap. 4. docet, eos Pelagianum errorem resuscitasse, dum ita canit.

*Quo quidam instantur nunc turpiter, atque perempti  
Dogmatis extinctis tentant animare favillas,  
Dum libertatem arbitrij, affectumque volendi  
In naturalis motus virtute locantes,  
Tam bona quemque docent sectari posse suo  
Ingenio, quam posse subest cuique in mala ferri.*

Et cap. 6. refert sententiam eorum.

*Sic fit propositum, ut nullus non possit ad illud  
Libertate sua proprioque vigore venire:  
Sitque salus dignis Salvati ex fonte volendi.*

Et cap. 10.

*Sed proprio quemque arbitrio parere vocanti,  
Judicioque suo mota se extendere mente,  
Ad lucem oblatam, qua se non subtrahit ulli;  
Sed cupidos recti juvet, illustretque volentes.  
Hinc adjutoris Domini bonitate magistrâ  
Crescere virtutum studia, ut quod quisque petendum  
Mandatis didicit, jugi sectetur amore.*



452 LIBER SEXTUS

Refutat illos cap. 20.

*Divinorum operum quod ponitis in redimendis  
Principium ? Mandata Dei facere ante lavacrum,  
Nosse & amare Deum, promissis credere Christi,  
Quaerere, pulsare & perire proprium omnibus esse  
Asseritis, qui se studeant aptare vocanti.*

*Anne ab aquis divina manus revocare receptos  
Incipit ? & vita causa est sua cuique voluntas :  
Ut merces operum sit gratia, iudiciumque  
De pretio, quo, quod donum perhibetur, ematur?*

*Ut pulsante aures Sermone illecta voluntas  
Iudicio praecurrat opem, nec gratia iam sit  
Gratia : qua legis fungens vice iure monentis,  
Solum agat : atque agro cum plantatore ministret,  
Terraque seminibus det, non Deus, incrementum.*  
Et de Generali Redemptione cap. 13.

*Nam si nemo usquam est, quem non velit esse Re-  
demptum :*

*Haud dubie impleretur quidquid vult summa potestas.  
Non omnes autem salvantur, magnaue pars est  
Qua sedet in tenebris mortis, nec vivificatur.*

*Deinde quid ipsi respondeant, praecipiat.*

*An varii motus animorum talia gignunt ?*

*Libertasque facit causam non omnibus unam ?*

*Respondet :*

*Ergo hominis valida est arbitrio divina voluntas,  
Aut etiam invalida est, operis cui finis in illo est.  
Quem frustra iuvisse velit, nisi praeferat ille  
Affectum, cuius comitetur gratia cursum.*

*Cap. 45. Catholicam fidem opponit :*

*Vita, salus, virtus, sapientia : gratia Christi est,  
Qua currit, gaudet, tolerat, cavet, eligit, instat,  
Credit, sperat, amat, mundatur, justificatur.*

*Cap. 38. Objicit errorem Pelagianum, quem  
tenent.*

*Quid prodest verbis Commentum Pelagianum*

*Ref<sup>a</sup>*



DE PROPOSITIONE V. 453

Respuere, & solâ damnatos plectere voce?  
Cum paucis squalidâ sublati de cute nervis,  
Intima viperii foveantur viscera sensus?

Cap. 34.

I procul insana impietas, artesque malignas  
Auser, & Aucthorem comitare exclusâ Britannum:  
Nos humiles tenuesque sumus, Grex parvus, &  
altis

Inniti mezuens: quia sufficientia nostra  
Ex Christo est, Si quid recti sapimus volumusque,  
Illi debemus, qui vincula nostra resolvit,  
Proque malis bona restituit, non inveniendò  
Quod merito legeret, sed donans quo legeretur,  
Ut de perceptis prodiret causa merendi:  
Deque datis in danda gradus, industria crescens  
Scanderet, atque bonum fieret Deus omnibus unum.

Præmisit ergò meritò contrà Ingratos:

Vos igitur soli queruli, solique superbi:  
Vos soli ingrati, quos urit gratia: cuius  
Omne opus arbitrio vultis subsistere vestro:  
Et quod non cuncti mortales atria vita  
Ingrediuntur, ità ex ipsis pendere putatis,  
Ut tam ex iudicio constet cuiusque quod intrat,  
Quam quod non intrat.

Cap. 11. Quærit sibi probari gratiam Christi  
omnibus volentibus offerri.

. . . Dic undè probes, quod gratia Christi  
Nullum omnino hominem de cunctis qui generantur  
Prætereat, cui non regnum vitamque beatam  
Impartire velit?

Cap. 12. Responsum Semi-Pelegianorum refun-  
dentium in voluntatem, quod non omnes Salven-  
tur, refert:

Namquè utrumque simul sapitis, qui dicitis, omnes  
Omnibus oblatum potuisse apprehendere munus:  
Natura quoniam non sit detracta facultas:  
Nec sine iustitiâ pereant, qui mentis honorem



## 454 LIBER SEXTUS

*Sordibus obruerit vitiorum : ut lumen ab alto*

*Emissum , indignâ nolent requiescere sede :*

*Sic, quod nascendo est unum , distare , volendo :*

*Ut meritum ad paucos , natura spectet ad omnes.*

Cap. 6. Inducit Pelagianos dexteram jungere volentes, eò quòd, quoad naturales vires volendi salutem, non dissonent à Semi-Pelagianis.

*Dum nostri decus arbitrij lumenque creatum*

*Principio , quod sponte potest insistere rectis ,*

*Manserit illasum : nec viribus absit ab illis,*

*Quas condente Deo generaliter omnis in Adam*

*Suscepit natura hominis, nec suppetat ulli*

*De non accepta arbitrij virtute querela :*

*Cum sine delectu seu lex seu gratia Christi*

*Omnem hominem salvare velit: donumque vocantis*

*Sic sit propositum, ut nullus non possit ad illud*

*Libertate suâ proprioque vigore venire :*

*Sitque salus dignis salvari ex fonte volendi.*

*Hæc si vestra fides , vestra est doctrina, remotis*

*Qua vestro exemplo rejecimus, addite sanctis*

*Nos Gregibus, Tandemque bonis defendite vestros.*

Ecce qualem Salvatorem omnium prædicaverint Semi-Pelagianis. Qui omnes, nemine exceptò, redemit ; sed naturali vigòre pretium agnoscere volentes. Qui omnes iustificare venit, sed libertate sua ad Lavacrum currentes. Qui sanare venit ægrotòs universos, sed Medicum ità implorantes. Qui salvare venit omnes, sed ex fonte volendi salvari dignas: Gratiam donare sed qua cupidos recti juvet, illustretque volentes. Ut ad manus nullus non possit ad illud libertate sua, proprioque vigòre venire.

Nil habet hoc dogma commune cum Catholicis, sed Pelagianis liberi arbitrij inflatoribus ac decomptoribus, & Gratix ingratis inimicis.

Quotquot enim Christum pro omnibus mortuum credunt, vel sunt Moliniani, qui ex morte  
Christi



DE PROPOSITIONE V. 455

Christi sufficientem, & necessariam ex ea ad fidem & omnem bonam voluntatem gratiam gratis datam eliciunt: vel alii, qui pro omnibus sic mortuum asserunt, ut quibusdam efficaciter mortem prodesse voluerit; quibusdam verò media salutis instituerit, vel immortalitatis pocula de latere suo proflua, quæ si ab omnibus libarentur, omnibus mederentur. Quod autem non bibantur, non humani esse arbitrij, sed divini Judicii, juxtà illud Prosperi cap. 35. de Ingratis:

*Cur verò humani generis de germine toto  
Pars quædam in Christo rursùm generanda legatur,  
Pars pereat, cum causa eadem simul implicet omnes,  
Nec discernantur merito, qui munere distant:  
Non satis audemus scrutari, nec per opertas  
Ire vias, callesque gradu pulsare remotos:*

*Multa etenim benè tecta latent, nescitaque profunt.*  
Absit itaque, ut Augustinus, qui cum sequacibus suis Christum pro omnibus mortuum defendit, ad ingratiſſimorum hæreticorum castra transferit, qui minores semper libero dedit arbitrio, partes præcipuas Deo, ut vel ideò S. Prosper eum tam eximio decantaverit Elogio de Ingratis cap. 2.

*Nam cibus illi,*

*Et vita, & requies, Deus est: omnisque voluptas  
Unus amor Christi est, unus Christus est honor illi:  
Et dum multa sibi tribuit bona, fit Deus illi  
Omnia: & in sancto regnat sapientia templo.*



SEC.



*Argumenta ex Autoritate Ecclesiæ  
Lugdunensis discutiuntur & diluuntur.*

**M**agnum sibi Præsidium quærit Jansenius ab hac Autoritate Ecclesiæ Lugdunensis in illis eruditis Libris, quos de tenendâ Scripturæ veritate S. Remigius scripsit, ubi ex professo docet, Christum Fidelium Ecclesiam Passione suâ redemisse, nullo verò modo pro illis infidelibus, qui per quatuor annorum millia antè adventum Salvatoris in infidelitate suâ mortui atque damnati sunt, vel aliis similiter post ejus adventum in suâ infidelitate perseverantibus passum esse. Verba S. Remigii sunt: *De infidelibus verò eadem constantia desinit. Cesset hæc nova & inaudita præsumptio, ut nullus hominum impiorum, & apud inferos irrevocabiler damnatorum fuerit, pro quo Christus passus non fuerit. Cum pro solis illis defunctis passionem sustinuerit, qui eum, dum in corpore viverent, fideliter venturum & mundum suâ passione redempturum crediderunt. Hoc itaque Catholicum, hoc si dei Ecclesiæ ab initio commendatum.*

Respondeo S. Remigium agere de redemptione relata ad impios pro statu irrevocabilis damnationis, non pro statu viæ quo erant salvabiles & Christo incorporabiles, pro quibus saltem sufficienter Christus mortuus est, quia instituit media, quæ si suscepissent, salvati fuissent. Undè erant Christi membra in potentia, ut loquitur D. Thomas, quia potuerunt Christo uniri dum viverent. Post mortem verò potentia ista desivit. Quod de efficaci damnatorum redemptione etiam egerit, patet ex argumentis, quibus utitur: *Quia sicut de eisdem refugis Angelis & im-*  
mundis



DE PROPOSITIONE V. 457

*mundis spiritibus scriptum est, quod Deus Angelis peccantibus non pepererit, sed rudentibus inferni detractos sub caligine tradidit in iudicium cruciandos reservari: & idcirco verissime creduntur irrevocabili iudicio ad pœnas & ad interitum perpetuum prædestinatos: ita & illi homines impij in suâ impietate mortui eodem irrevocabili divino iudicio tam erant pœnis perpetuis condemnati.*

Probat id quoque ex Osæâ Prophetâ dicente: *Ero Mors tua ô Mors, morsus tuus ero inferne. Quæ verba S. Gregorius exponit: Quia ergò in electis suis funditus occidit mortem, MORS MORTIS EXSTITIT. Quia verò ex inferno partem abstulit & partem reliquit, non occidit funditus, sed momordit infernum. Ait ergò: Ero Mors tua, ô Mors. Ac si apertè dicat, quia in electis meis te funditus perimo. Ero morsus tuus inferno, quia sublatis eis, te ex parte transfigo.*

Quantùm ad infideles, qui nondum mortui sunt, sed in suâ infidelitate, atque impietate perseveraturi, nihil definit, sed ita loquitur: *Si de Scripturæ sanctæ auctoritate quod etiam pro talibus passus sit, certissimis & clarissimis testimonijs nobis demonstrare potuerunt boni Viri qui talia definiunt, dignum omninò est, ut credamus & nos: si verò non potuerint, cessent contendere pro eo, quod non legunt, pudeat eos definire, quod nesciunt.*

Respondetur agi de efficaci Redemptione & absolutâ, aut si mavis indifferenti, quam ad omnes qui salvari Sponte voluerunt extenderunt Semi-Pelagiani, quorum imitator fuit Hincmarus, & contra quem S. Remigius, sicut & Synodus Valentina egit. Quod autem pro infidelibus, etsi ad fidem non pertingant, Christus mortuus sit, propter unam omnium causam à Domino in veritate susceptam, ex S. Prospero monstravimus; licet efficacitas, ejusque proprietas tantum penes illos



## 458 LIBER SEXTUS

fit, qui reipsa in Christi membra transeunt per Fidem & Sacramenta.

Et nonne Augustinus inter fideles computat parvulos baptizatos, & non baptizatos inter infideles? atque tamen pro non baptizandis Christus est mortuus: quia quibus opus est Christus, his procul dubio est Jesus: omnibus autem parvulis opus est Christus, & ejus baptismus; ergo.

Objici etiam potest, quod Ecclesia Lugdunensis hanc propositionem refutet: *Christus Jesus Dominus noster, sicut nullus homo est, vel fuit, vel erit, cujus natura in illo suscepta non fuerit, ita nullus est, fuit vel erit, pro quo passus non fuerit, licet non omnes passionis ejus mysterio redimantur. . . quia poculum immortalitatis quod confectum est de infirmitate nostrâ & virtute divinâ, habet quidem in se, ut omnibus prosit, sed si non bibitur, non medetur.*

Resp. Sunt tamen verba Prosperi: *Nullus est ex hominibus, cujus natura in Christo Domino nostro suscepta non fuerit. Ad cap. 9. Gall. & ad Vinc. 1. Cum propter omnium naturam, & unam omnium causam à Domino nostro in veritate susceptam, rectè omnes dicantur redempti, & tamen non omnes à captivitate sint eruti, &c. Et infra: poculum quippe, &c.*

Itaque aliam susceptionem naturæ intellexit Prosper, aliam Ecclesia Lugdunensis; ille talem quâ factum est, ut pro illa natura voluerit Deo satisfacere causam ejus in se suscipiendo, & sic se caput constituendo omnium membrorum, quæ ipsi uniri possent (Sicut D. Thomas docet Christum esse Caput omnium hominum viatorum quia uniuntur illi actu vel potentiâ); aliter verò Ecclesia ista, nempe pro illa, quâ homines ei actu conjunguntur ut viva membra capiti adunata per gratiam. Huc enim collineant probationes ex Patribus desumptæ, signatè ex S. Leone

&



DE PROPOSITIONE V. 459

& Gregorio magno. S. Leo namquè ità loquitur: *Nascens Dominus Jesus Christus homo verus, qui numquam esse destitit Deus verus, nova creatura in se fecit exordium. Generatio Christi origo est populi Christiani. Natalis Capitis, natalis & corporis. Item: Illa substantia nostræ in Deitate susceptio, quem hominem misericordie suæ nisi infidelem reliquit exortem? & cui non communis natura cum Christo est, si assumentem recipit, & eo Spiritu est regeneratus quo ille primogenitus. Et Sanctus Gregorius: Interpellat autem pro nobis Dominus non voce sed miseratione, quia quod damnari in electis noluit, suscipiendo servavit. Et S. Hilarius de Sacramentali Communione: Non enim quis in eo erit, nisi in quo ipse fuerit. Et in conclusione Misfarum Natalis Domini Ecclesia orat: Hujus Domine sacramenti semper novitas natalis instauret, cujus Nativitas singularis humanam depulit vetustatem.*

Ex his concludit Ecclesia Lugdunensis: *Quod illa humanæ naturæ in Christo susceptio infideles hujus misericordie reliquit exortes. Et eis solis præstitit, ut haberent Communem naturam cum Christo, qui assumentem Recipiunt, & illo Spiritu sunt regenerati, quo ille est progenitus. De actuali ergò cum Christo unione agitur: alioquin omnes non regenerati, sed postea regenerandi non essent à Christo suscepti, & redempti: cum tamen dicat S. Leo: Sicut à peccato nullum liberum reperit, ità liberandis omnibus venit. . . . animetur gentilis, quia vocatur ad vitam, &c.*

Conformiter Ecclesia Lugdunensis de efficaci redemptione sive redemptis fructuosa loquitur ubi ait: *Manifestè ergò constat, quia susceptio illa redemptio fuit, ut qui suscepti sunt, sint redempti, & qui redempti, illi suscepti. Undè & fideles in Christo sunt, & Christus in illis. Infideles non sunt*

*in*



## 460 LIBER SEXTUS

*in Christo (actu) nec Christus in illis. Solis fidelibus dicit, quos sibi per Sacramentum vera Incarnationis & gratiam Redemptionis univit, MANETE IN ME, EGO IN VOBIS.*

Quod autem infidelium caput Christus sit, adeoque illorum naturam susceperit & causam, ut loquitur Sanctus Prosper declarat Doctor Angelicus 3. p. q. 8. art. 3. Christus, inquit, est caput omnium hominum, sed secundum diversos gradus: primò enim & principaliter est caput eorum qui actu sibi uniuntur per gloriam. Secundò eorum qui actu sibi uniuntur per Charitatem . . . Quintò eorum qui in potentia sibi sunt uniti, quæ numquam reducetur ad actum. Et art. 3. ad 1. Dicendum quod illi qui sunt infideles, etsi actu non sint de Ecclesia, sunt tamen de Ecclesia in potentia: quæ quidem potentia in duobus fundatur: primò quidem & principaliter in virtute Christi, quæ est sufficiens ad salutem totius Generis humani; secundario in arbitrij libertate.

Quod si quæras, cur ergò non omnes Salventur, cum meritum Christi frustrari non possit?

Respondet in q. q. disput. q. 29. de grat. Christi art. 7. ad 4. dicendum quod meritum Christi, quantum ad sufficientiam equaliter se habet ad omnes; non autem quantum ad efficaciam; quod accidit partim ex libero arbitrio, partim ex divina electione, per quam quibusdam misericorditer effectus meritorum Christi confertur, quibusdam vero iusto iudicio subtrahitur: Et ad 13. Hoc ipsum gratis alicui nostrum confertur, quod efficaciam meriti Christi consequamur. Et 3. p. q. 1. art. 1. ad tertium comparat, sicut Prosper, poculo medicinæ. Sicut si Medicus faciat medicinam ex quâ possint quicumque morbi sanari.

SEC.



## S E C T I O I V.

*Negata per Iansenium Mors Christi pro omnibus omnino hominibus viatoribus, per Augustinum asseritur, dictumque de Augustino Assertum illius refellitur.*

**D**uo sunt, quæ Jansenius famosò capite 21. asserit, refellenda, & quidem ex ipso, quem *Ianf. l. 3. de Grav. Cbr; cap. 21. pag. 382.* semper appellat, Augustino. Primum, quod *phra-* *sis illa, se pro aliquo redemptionem dare, significet, ex redimentis animo in usum ac liberationem capti-* *vorum offerri ac dirigi, quæ oblatio ac directio Christi inanis esse non potest. Item: ut eius oblatione placatus Pater eos reipsâ de servitute liberaret.* *pag. 385.*

Alterum est: quod Augustinus numquam in scriptis suis farètur Christum pro omnibus, nullò exceptò, se dedisse redemptionem, vel crucifixum esse vel mortuum; sed tantummodò pro illis, quibus *pag. 382.* mors ejus profuit. Hæc magnus licet ille Jansenius insignis ingenio, clarus eloquio, Augustino turgidus, sententiis nimium phaleratus, *Sanctis-* *simi sui*, ut indigitar, *Doctoris*, illius tamen medullata sensa de morte Christi (quidquid in aliis perhibuerit) nondum visus est nobis penetrasse. Hoc dictum nostrum Paradoxi loco habebunt aliqui, sed hi potissimum, qui Augustinum nostrum Europæo suo, hoc est, Jansenio à primâ Theologiæ lanugine dumtaxat pervolverunt, ac ità perbiberunt, ut nec adulti nec senes dimittere queant. Hinc malè radicata illa præjudicia tumidò eructata pectore, *ne ad latum unguem Augustinum Europæum, hoc est, Jansenium ab Africano, id est, Augustino vero, quemquam usquè modo dispescere potuisse.* Hic ergò æquus arbiter con-

spiciat;



## 462 LIBER SEXTUS

spiciat, non quam lato ungue, sed longo sensuum intervallo Europæus ab Africano distideat, an non intercapedo major interjaceat inter utrumque, quam inter Africam & Europam.

A postremo Jansenij loco auspicemur: *Augustinus nunquam &c.* Augustinus de omnibus hominibus loquebatur quando scribebat: *Sicut unus fuit ad mortem propter peccatum, sic est unus ad vitam propter justitiam.*

*L. 3 ad Bon. cap. 4.* De omnibus aiebat apud Augustinum Redemptor: *factus sum quod feci, ne periret quod feci.*

*Serm. 12. de Verb. Apost. cap. 7.* De omnibus dixit Augustinus sanandis à Medico: *Quantum in medico fuit, sanare venit agrotum.*

*Serm. 12 de Verb. Apost.* De omnium Peremptore, ac Sanatore itidem assererebat: *Unus, & unus. Unus per quem ruina, alius per quem structura.*

*L. 5 de her. cap. 7.* De remedio omnium loquebatur: *fusus est sanguis medici, & factus est medicamentum Phrenetici.*

*L. 2 op. imp. cap. 170.* De omnibus loquebatur Juliano, nemine Excepto: *Quibus opus, his procul dubio est Jesus.*

*Aug. l. 5. cont. Iul. c. 1.* De omnibus loquebatur eidem: *Sententia nostra Christum Salvatorem prædicat omnium Hominum, etiam parvulorum.*

*in ps. 20.* De redemptionis pretio magno pro omnibus loquebatur: *manavit pretium orbis terrarum.* Item de omnibus loquebatur quando addebat: *Totum, non partem judicare debet, qui pro toto pretium dedit.*

*in ps. 95.* De omnibus loquebatur quando addebat: *Totum, non partem judicare debet, qui pro toto pretium dedit.*

*Tract. 28. in Ioan.* De omnibus loquebatur dicens: *assumpsit vita mortem, ut vita occideret mortem.*

*Aug. l. 5. cont. Iul. c. 1.* De omnium medico rursus scribebat: *omnis homo nascitur periturus in æternum, si non renascatur, & perditus nisi ab eo quaesitus, qui venit querere quod perierat.*

De



DE PROPOSITIONE V. 463

De omnibus, excepto nemine, arguebat ex  
Apostolo: *Christus pro omnibus mortuus est; ergo*  
*omnes mortui sunt, NEMINE EXCEPTO.* L. 20. de  
Civ. Dei.

Pro eisdem omnibus Julianum urgebat dum  
dicebat: *Juliane, non hoc Augustinus, sed Aposto-*  
*lus dixit: Imò per ipsum suum Apostolum Christus* L. 1. op. imp.  
(scilicet) *unus pro omnibus mortuus est, Cohibe te cap. 133.*  
*vaniloquio. Cede Deo.*

SECTIO V.

*Confirmatur Mors Christi pro omnibus*  
*ex eodem S. Augustino ex necessitate*  
*Christi pro omnibus.*

SI humani generis Redemptor non nisi ratione  
Spretij, quod etiam ad Dæmones pertinet,  
Interprete Jansenio, dicatur omnino Redemptor  
omnium, quod redemptionis officium evacuat;  
Planè sequitur, ad hominum, quibus mors non  
profuit reipsa, Redemptionem, Passionem ac  
Mortem esse impertinentem, & indifferentem  
sicut ad Dæmonum liberationem. Exindè fluit  
Non magis ad homines illos Christum specta-  
re, quam ad eosdem Apostatas Angelos. Proin-  
dè non magis hominibus istis quam Dæmoni-  
bus Christum esse necessarium, quatenus redemp-  
tor, Mediator, & Medicus factus est. At-  
qui tamen S. Augustinus Christum hominibus  
omnibus, nemine excepto, dixit esse necessa-  
rium; ergo.

Probatur. Primò Quia S. Augustinus illis solis  
Christum non esse necessarium asserit, qui sine  
concupiscentia sunt procreati; atqui tales nulli  
sunt; ergo Christus est omnibus necessarius.

Pro-



## 464 LIBER SEXTUS

Probatur Major ex Epistola 89. q. 3. Proinde isti, si forte invenerint infantem non ex illius unius hominis concupiscentiâ procreatum, ipsum dicunt illi damnationi non esse obnoxium, nec per Christi Gratiam ab illa damnatione liberandum.

Secundò damnandos censet Parvulos quibus Christi gratia defuit, ergò illis necessaria fuit; alioquin esset sequela impertinens, tantumque dici oportuit, damnati sunt, quia in peccato nati, in peccato mortui sunt. Et ideò mortui: quia sicut Dæmones Redemptorem non habuerunt, nec salvari potuerunt: sic nec illi.

Augustinus tamen in defectu medicinæ acceptæ refert, quod liberati non sint; ergò medicum habuerunt.

Epist. 28.

Probatur minor ex Epistola 28. Quæcumque autem anima sine gratiâ Mediatoris & Sacramento eius in quâlibet ætate de corpore exierit, & in pœnam futuram, & ultimo iudicio corpus recepturum ad pœnam.

L. 1. op. post.  
cap. 5.

Et alibi: Numquid nisi damnatus parvulus nascitur? Et per quem nisi per Christum ab istâ damnatione liberatur?

Et iterùm: Non eos habere vitam, nisi habeant Christum, Joannes Evangelista testatur dicens in Epistolâ suâ: qui habet filium habet vitam, qui non habet filium, vitam non habet; merito itaque intelliguntur mortui, qui non habent vitam, pro quibus est mortuus, ut habeant.

L. 6. cont.  
tit. c. 9.

Et antè: Jam itaque vobis ipsis reddite rationem, ne putetis indignum, ut qui non admittuntur in regnum Dei, sint sub illo qui cecidit de regno Dei: & qui non habent vitam, sint sub illo, qui perdidit vitam: non autem habere parvulos vitam, nisi habeant Christum; quem proculdubio habere non possunt nisi induerint eum, eo modo quo scriptum est: quotquot in Christo Baptizati estis, Christum induistis.

An-



DE PROPOSITIONE V. 465

An de Dæmonibus dici possit: *Non nisi per Christi gratiam fuisse liberandos?* Ideò in morte permanuros, & in ultimò iudiciò puniendos, quia *Gratiam Mediatoris non acceperunt?* An ideò vitam non habebunt, quia *Christum*, qui vita est, non *induerunt?* Hoc tamen dici debuit de illis, sicut de hominibus, v. g. Parvulis non baptizatis, si redempti non sint, nisi quia pretium oblatum est sufficiens, sed non alià Redimentis intentione liberandi à morte oblatum, quam pro dæmonibus. Hæc autem comparatio plena cum Spiritibus Apostatis Jansenii est. Ergò illa corrui per eam, quam Augustinus requirit in hominibus omnibus Christianæ medicinæ necessitatem.

SECTIONO VI.

*Confirmatur ex sententia S. Augustini de necessitate baptisimi quoad omnes nemine excepto.*

**I**N lumine ipso constituo, Sacramentum baptisimi esse ex effectibus unum Passionis ac Mortis Domini nostri Jesu Christi. Quod si quis inficias eat, revincet illum S. Augustinus ubi ait: *De latere in cruce pendentis lancea percusso Sacramenta Ecclesie profluxerunt.* Et alibi: *Ostium arce Noë quid significet, nempe illud est vulnus, quando latus crucifixi lancea perforatum est: hæc quippè ad illum venientes ingrediuntur, quia inde Sacramenta manarunt, quibus credentes initiantur.* His jam suppositis sciscitaturus venio, num ad solos Redemptos hæc pertineant? Num ad alios? Ad alios, quam Redemptos Christi Sanguine ea pertinere nemo dixerit. Cum sint Passionis ac mortis effecta, ergò ad solos Redemptos pertinent.

*Tract. 15. in Ioan.*

*L. 15. de Civ. Dei c. 26.*

G g

Secur-



## 466 LIBER SEXTUS

Secundò percunctor, an solis Redemptis sint necessaria an aliis? Non aliis, quia ad illos non pertinent, ut jam dictum est; ergò his solis necessaria sunt.

Sed Sacramentum primum necessarium est omnibus, etiam illis, quibus non datur; ergò & illi inter Redemptos censendi sunt.

Baptismum porrò necessarium esse non modò parvulis, qui baptizantur, sed qui non baptizantur, ubique docet Augustinus; igitur docet Christum redemisse eos, qui reipsa à captivitate diaboli non liberantur, & quibus mors ejus non profuit.

Ab assumpto pendent omnia. Itaque

L. 1. op. imp.  
cap. 60.

Probatur primò. De parvulis omnibus intelligendus est Augustinus ubi ait: *Quo Creatore nati sunt, hoc indigent Salvatore.*

L. 3. cont.  
Iul. c. 3.

Secundò de omnibus Parvulis loquitur: *Natura ista in tantas & tam manifestas collapsa miseras Liberatorem, Mundatorem, Redemptorem habet necessarium non Julianum, non Cælestium, non Pelagium laudatorem.*

L. 3. de pee.  
merit. c. 4.

Tertiò ad omnes Parvulos spectat, quod de curâ baptizari volentium refert: *Non ob aliud ad Jesum, hoc est, ad Salvatorem & ad Medicum Christum piis gestantium manibus ferri, nisi ut per Medicinam Sacramentorum ejus possint à peccati peste sanari.*

L. de Dono  
Persev. c. 12.

Et tamen *Festinantibus parentibus ac paratis Ministris ut baptismus parvulo detur, Deo tamen nolente non dari.*

L. 2. op. post.  
cap. 212.

Quartò Juliano pro omnibus Parvulis intorquet: *Aut dic aperte, Baptizari eos non oportere: non enim aliud, cui morerentur, habuerunt.*

cap. 172.

Etrursùm: *Nolite ergò eximere parvulos de numero peccatorum, quia & pro ipsis mortuum fatemini Christum.*

Quin-



DE PROPOSITIONE V. 467

Quintò ad omnes pertinet: *Quibus autem opus, his procul dubio est Jesus.*

Sextò de Parvulis non baptizatis loquitur: *Illi, quibus Sacramentum defuerit, in iis habendi sunt, L. 1. de pecc. qui non credunt filio, atquè ideò si hujus inanes gra- merit. c. 20. tia exierint, sequetur eos quo dicitur: non habebunt vitam, sed ira Dei manet super eos.*

Septimò frequenter de Parvulis dicit non habituris vitam: *Qui non manducaverint carnem Domini, scilicet in baptismo quod & libro 1. cont. Julianum cap. 7. confirmat per Innocentium Papam dicentem: Nisi manducaverint carnem & Sanguinem biberint, vitam parvulos habere non posse.*

Et quemadmodum visio serpentis omnibus à serpentibus sauciatis necessaria fuit, ità & omnibus, nemine exceptò, à serpente tartareo lesis Christum *Serm. 14. de esse necessarium. Serpentis morsu movebaris, ideò Verb. Apost. crucifigitur Christus, ideò fundit Sanguinem Christus cap. 3. in Remissionem peccatorum. Sicut exaltavit Moyses serpentem in deserto, undè sanarentur, qui in illo deserto à serpentibus mordebantur, & illum exaltatum attendere jubebantur, & quisquis attenderet, sanabatur: sic exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in illum, id est, qui attendit exaltatum, non pereat sed habeat vitam æternam.*

Adam primus accepit morsum serpentis cum *cap. 11. veneno.*

Ab hoc veneno serpentis non liberat nisi gra- *cap. 14. tia Serpentis.*

Cujus Medicinalis adventus non est opus sanis sed ægotantibus: in cujus regnum non intrabit *Nisi qui renatus fuerit ex aquà & Spiritu Sancto... L. 1. de Pecc. ab hoc peccato, ab hac agritudine, ab hac irà Dei, merit. c. 23. cujus naturaliter filij sunt, non liberat nisi agnus Dei: non nisi Redemptor, cujus Sanguine deletur debitum nostrum.*



## 468 LIBER SEXTUS

cap. 27.

Defectu etiam fidei, quâ serpentem aspiciant, id est in Christum credant, damnandos asserit parvulos eodem libro juxtâ illud: *qui crederit & baptizatus fuerit salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Quis autem nesciat, inquit, credere esse infantibus baptizari, non credere autem non baptizari?*

cap. 28.

Comparat quoque baptismum arcæ Noë sicut Apostolus Petrus, & subdit: *Ab hac salute & lumine alieni sunt parvuli, & in perditione ac tenebris remanebunt nisi per adoptionem populo Dei fuerint sociati tenentes Christum passum iustum pro injustis, ut eos adducat ad Deum. Item ex illo loco ubi Salvator ait: Qui mecum non est adversum me est, constitue igitur quemlibet parvulum: si jam cum Christo est, ut quid baptizatur? Si autem quod habet veritas, ideo baptizatur ut cum Christo sit, profectò non baptizatus non est cum Christo. Et quia non est cum Christo, adversus Christum est.*

Concludit itaque: *Omnem hominem separari à Deo nisi quis per Mediatorem Christum reconciliatur Deo, nec separari quemquam nisi peccatis interluentibus posse.*

Igitur quibus opus, his procul dubio est Jesus, omnibus Redemptor, omnibus medicus, qui poculum immortalitatis de nostra infirmitate & virtute divinâ confecit, sed si non bibitur non medetur.

Hanc Medicinam ad parvulos, qui sinè baptismo moriuntur, extendit etiam S. Fulgentius lib. 1. de verit. Prædest. cap. 14. ubi docet mitori pœnâ Parvulos cruciandos, quia remedium baptismi non contempserunt: *Deterius est enim, ait, REDEMPTIONIS beneficium impiâ voluntate non querere, quam ad ILLUD impedimento tenera prorsus ætatis venire non posse. Undè & antè præmisit de contemptoribus baptismi: Sed in eo est majorem*



DE PROPOSITIONE V. 469

*orum causa deterior, quia rationis utenda facultate percepta, respuunt aut negligunt regenerationis salutare remedium, sine quo non solum regno potiri non nequibunt, quin etiam gravioribus suppliciis subjacebunt,*

*Ergo baptismus est regenerationis remedium, & Redemptionis beneficium institutum pro illis etiam, qui per aetatem ad illud venire non possunt atque ita moriuntur, de quibus idem Sanctus pronuntiat, quod arsi sunt sine baptismo morientes.*

S E C T I O VII.

*Mors Christi pro omnibus probatur ex Argumento Apostolico, Expositore S. Augustino: Quoniam unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. 2. Corint. 5. v. 14.*

**S**I Christum passum esse, crucifixum, mortuum præ se ferat; intentione morientis pretium pro illis oblatum esse, ut ejus oblatione placatus Pater eos re ipsa de servitute liberaret, ut contendit Jansenius; Apostolici argumenti ea vis erit: *Christus pro omnium hominum generibus, Regibus, privatis, nobilibus, ignobilibus, item omnium nationum, linguarum reali liberatione à servitute peccati obtinenda mortuus est; ergo ex omni genere, conditione, natione, lingua mortui sunt in peccato.* Hac consecutione stante, possent multi ex omni genere liberi esse à peccato, qui consequenter ad mortem Christi non pertinerent, eò quod non sit mortuus Christus nisi pro mortuis juxta Apostoli consequentiam.



Atqui tamen Apostolus hoc argumento visus est, non modo genera singulorum omnium, sed & singula generum seu individua sub peccato concludere, ut ostendat à redemptione nullum esse exceptum, ergò. Nam S. Augustinus ex hoc loco: *Christus pro omnibus mortuus est*, non modò genera hominum, sed singulos hominum peccato esse obnoxios concludit l. 20. de civitate Dei c. 6. *Omnes itaque mortui sunt in peccatis*, NEMINE EXCEPTO. Si ideò omnes, nemine exceptò, in peccatis mortui sunt, quia unus pro omnibus mortuus est; ergò etiam unus pro omnibus, nemine exceptò, mortuus est. Alioquin à generibus singulorum ad singula generum non fuit recta consecutio. Nam si dicerem: Omnes homines sunt fideles capiendo ly *omnes* pro generibus hominum, nullo modo sequeretur, singulos homines esse fideles. Apostolicam dialecticam peccati originalis acerrimus propugnator Augustinus oculatiùs inspexit, cum per eam Pelagianorum machinamenta contrivit. Julianus quidem eorum Coryphæus Christum pro omnibus mortuum esse concessit, ac non pro mortuis solis: mortuum voluit pro adultis, peccato mortuis, vivificandis & regenerandis; pro parvulis verò, quos à peccato censebat immunes, Gratià adóptionis adornandis. Sed S. Augustinus Apostolicum arietem ei impegit, quasi pro singulis mortuum asserentis; & exindè singulorum mortem inferentis. *Quidquid argumentèris*, ait, *quidquid Apostolicorum verborum conèris evertere à morte, quæ in peccato est, parvulos non ostendis immunes, quia & pro eis Christum mortuum negare non audes*. Imò ex hâc morte Christi pro omnibus S. Augustinus mortem omnium & singulorum, etiam parvulorum peccato inflictam invictissimè deducit.

L. 2. ep. post.  
cap. 175.



DE PROPOSITIONE V. 471

Tu dicis, ait Juliano, etiam pro peccatoribus mortuum; ego dico non nisi pro peccatoribus mortuum; ita ut respondere cogaris, si nullo peccato parvuli obstricti sunt, non esse pro parvulis mortuum. Dicit enim ad Corinthios: Quoniam unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & L.6.c.4. pro omnibus mortuus est. Nullò modò hic negare permetteris, non nisi pro his, qui mortui sunt, mortuum fuisse Jesum. . . . Ex hoc enim probavit, Omnes mortuos esse, quia pro omnibus mortuus est Unus. Impingo, inculco, infercio recusanti. Accipe, salubre est, nolo moriâris: Unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Vide, quia consequens esse voluit, ut intelligantur omnes mortui, si pro omnibus mortuus est. Quia ergò non in corpore, restat ut in peccato esse mortuos, si pro omnibus Christus mortuus, nemo neget, nemo dubitet, qui se non negat, aut dubitat esse Christianum.

Tu autem jam in primo libro tuo contra nos clamans dixisti, Christum etiam pro parvulis mortuum. Nullò modò igitur negare permetteris eos trahere originale peccatum.

Et cum alibi dixisset: Christum etiam pro impiis mortuum, redarguit illum Augustinus: Sed Apostolus non ita locutus est, qui dixit pro impiis & peccatoribus mortuum. Frustrà ergò tu magnam Christi misericordiam extenuandam putasti. Ille enim pro male merentibus mortuus est: à quo beneficio Salvatoris parvulos separatis, quoniam salvos eos dicitis. Ille autem dicit: non opus est sanis medicus. Non ergò est opus parvulis Christus, quibus utique secundum vos non est Jesus. L.2. op. p. 1st. cap. 170.

Julianus vim Argumenti sentiens in consequenti: Omnes mortui sunt, respondet: omnes pro multis accipi penè innumera Scripturarum exempla testantur. Sed S. Augustinus nil ista moratur, urgetque hoc locò ab Apostolo ly omnes pro om-



nibus strictim accipi, ita ut parvuli non censeantur exclusi.

Et pergit in capto conflictu premere Adversarium: *Hinc te exue si potes, quod unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: & aude dicere: non omnes esse mortuos, pro quibus mortuus est Christus; cum tibi Apostolus fauces premat, opprimat audacissimam vocem, quid sequeretur ostendens & dicens: ergo omnes mortui sunt. Noli sic laudare Apostolum, noli exponere, ut nolis audire: si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.*

Quod si Julianus, quod modo Jansenius facere visus est, reposuisset Augustino: *Christus non est mortuus pro omnibus nemine excepto: Poteratne Augustinus hanc elicere sequelam: ergo omnes, etiam parvuli mortui sunt, nemine excepto? Ut ergo magis premat & opprimat in consequenti, debuit de eodem Antecedens interpretatum dare ac si diceret: Christus pro omnibus nemine excepto, mortuus est; ergo omnes mortui sunt etiam parvuli: quia pro omnibus Christus mortuus est.*

